



De dogmatibus veris et falsis in Ecclesia, theses theologicae

<https://hdl.handle.net/1874/423582>

pe 7

DE DOGMA TIBVS VERIS ET FAL- SIS IN ECCLESIA, THESES THE- OLOGICAE, DE QVIBVS 10. OCTOB. HORA 7. MATVTINA IN AUDITORIO

Theologorum disputationem habe-
bit GEORGIVS SOHN S.Theo-
logiae Doctor,

Respondente

M. IOANNE SPINDLERO.



Heydelberga excudebat Iacobus Milius.

M. D. LXXXIII.

DE DEGMA

WITNESS



DE DOGMATIBVS VE RIS ET FALSIS IN EC.

CLESIA.

I.


VONIAM MIHI NON SOLVM
docendi, sed etiam disputandi par-
tes hoc loco impositæ sunt: rem me-
non ingratam, non inutilem certè
Theologiaz studiosis facturum exis-
timaui, si primum de Dogmatibus
in Ecclesia, deinde de dogmatum dijudicatione ges-
neratim, tum de dogmatibus quibusdam, quæ hoc
tempore potissimum controuertuntur, speciatim
disputationes haberem: ut quid sequendū, fugien-
dūmue sit, intelligere qui vellent (omnes autem
velle debent) facilius possent.

II.

Dogma igitur omne duplex est in Ecclesia: ve-
rum aut falsum.

III.

Dogma verum est, quod cum verbo Dei, & pro-
hodierno Ecclesiæ statu, cum verbo Dei scripto, seu
scriptura sacra consentit.

IV.

Et qui huiusmodi dogma tradunt in Ecclesia,
hoc est, qui sic congruenter Scripturæ sacræ do-
cent, Orthodoxi & Catholici olim dicebantur,

V.

Dogma verum, vel expressè, hoc est prescriptis
verbis in scriptura sacra traditur: vel ex mente eius

A 2 bona.

**bona & necessaria consequentia colligitur, ut de
δύνασθαι Patris, Filii & Spiritus sancti, de pædoba-
ptismo, de militia Christianorum, &c.**

V I.

Dogma verum duplex est: principale, vel mi-
nus principale.

V II.

Principale est, quo fundamentum Ecclesiae &
salutis nostræ continetur.

V III.

Cuiusmodi sunt ea, quæ in symbolo Aposto-
lorum, quod vocant ἀφορίσικῶς traduntur: Qui arti-
culi fidei nominantur, quod his fides, ac proinde
salus nostra innitatur & incumbat.

I X.

In primis autem ea, quæ de Christo mediatore
in Scriptura veteris & noui testamenti docentur.

X.

Nam hic est totius scripturæ scopus atq; finis,
Act. 10. v. 43. 2 ad Cor. 1. v. 20.

X I.

Hic est illud fundamentum, quo stante stat,
ruente ruit Ecclesia, tanquam ædificium, i. ad Cor.
3. v. 11.

X II.

Hic est, cuius noticia ad animæ salutem planè
est necessaria, Joan. 17. v. 1. Act. 4. v. 12.

X III.

Minus principale est, quod iuxta illud funda-
mentum ad usus Ecclesiae traditur.

Cuius

X^{IV}II

Cuiusmodi sunt illa de coelibatu, de diuor-
tio coniugum, i.ad Cor.7. de excommunicatione,
i.ad Cor.5.

XV.

Dogma falsum est, quod cum verbo Dei seu
Scriptura sacra pugnat, ex naturali humanæ mens-
tis cæcitate & ignorantia Scripturę profectum: atq;
error generatim dici potest.

XVI.

Quæ definitio paucis explicanda videtur.

XVII.

Causa igitur efficiens erroris est naturalis mens-
tis humanæ cæcitas in rebus diuinis, seu ignorantia
Scripturæ, i.ad Cor.2. v.14. Matth.22,v.29.

XVIII.

Quæ non prorsus tollitur in renatis: in non re-
natis autem planè dominatur.

XIX.

Quam in multis etiam renatis, fouet curiosi-
tas & negligentia.

XX.

Itaq; nemo est præter Prophetas & Apostolos
quorum immediata est vocatio, qui non sit obno-
xius errori: nemo ferè, qui sit prorsus immunis ab
errore,

XXI.

Quod sic fieri permittit sapientissimus Deus,
ad patefaciendam veritatem, atq; adeò ad illustran-
dam gloriam suam.

A : Cum

XXII.

Cum enim sententiarum dissimilitudinem
videmus, pigritia nobis excutitur, & studium in da-
gandæ veritatis & illustrandæ gloriae Dei in nobis:
accenditur.

XXIII.

Dogma falsum porto est in declinatione à sen-
tentia scripturæ.

XXIV.

Nam quod à scriptura dissentit & cum ea reue-
ra pugnat, id falsum sit necesse est.

XXV.

Itaq; non in sermone seu verbis est error, sed
in sensu, ut rectè ait Hilarius: siue id quod verum
est, falsum, siue quod falsum est, verum putetur.

XXVI.

Pugnat autem dogma falsum cum scriptura
dupliciter: vel cum expressis scripturæ testimonijs,
vel cum eorum consequentibus necessarijs.

XXVII.

Tale igitur est dogma falsum & talis error ge-
neratim: & qui sic errant, sunt vel seductores vel
seduchi: Illi errorem tradunt: hi traditum acci-
piunt.

XXVIII.

Dogma falsum seu error duplex est: alius le-
uior, alius grauior.

XXIX.

Error leuior seu minus grauis est, qui in dogma-
te minus principalis, de quo antea dictum est, com-
mittitur, atq; adeò fundamento salutis nostræ su-
perstruitur.

Qui

XXX.

Qui ab Apostolo cum lignis, fœno & stipula,
quæ fundamento superædificantur, & manente
fundamento rursus ab igne exuruntur, compara-
tur, i. ad Cor. 3.

XXXI.

Nam sic errantes ligna fœnum & stipulam, hoc
est, vilia seu aliena, quæ fundamento non respon-
dent, sed fundamentum de honestant, superædi-
flicant.

XXXII.

Cum enim nobile sit fundamentum, super
ipsum non est excitandum, nisi nobile ædificium
& fundamento respondens.

XXXIII.

Itaq; in pio etiam talis error cadit, nec per se sa-
lutem interuertit.

XXXIV.

Seruantur enim, ait Apostolus, sed tanquam
perignem.

XXV.

Talis error est Pharisæorum ad Christum cons-
uersorum de circumcisione, Act. 15. v. 5. Galatarum
de diebus festis, ad Gal. 4.v.10. Romanorum de esu
olerum, ad Rom. 14. Chiliaistarum de regno exten-
so mille annorum, à Christo ante finem mundi in
his terris exercendo : Cypriani de rebaptizandis
ijs, qui ab hæreticis baptizati erant : Hieronymi de
virginitate seu cœlibatu : Tertulliani & Hierony-
mi de secundis nuptijs : Anabaptistarum de iuras-
mentis, & bello, &c.

Error

XXXVI.

Error grauior est, qui in dogmate principali, de quo supra dictum est, seu in rebus ad salutem necessarijs committitur: vel qui cum fundamento salutis pugnat: siue aperte conuellat & euertat fundatum, siue ex eo sequatur euersio partis alie- cuius fundamenti.

XXXVII.

Talis est error Sabellianorum, Arianorum, Mar- cionitarum, Nestorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum veterum & recentiorum.

XXXVIII.

Talis item error Pontificiorum de merito bonorum operum, de intercessione & invocatione Sanctorum demortuorum, de sacrificio Missæ, &c.

XXIX.

Errantium h̄ic duo genera: aliij pertinaces & refractarij: aliij non pertinaces.

XL.

Pertinaces sunt, qui admoniti ex verbo Dei, non cedunt meliora docentibus, sed errorem suum mordicus retinent & propugnant, non opinionem suam ad Scripturam examinantes, sed Scripturam ad opinionem suam detorquentes.

XL I.

Quorum error vulgo hæresis trita vocis significatione dicitur.

XL II.

Non enim omnis error de Theologia est hæresis in Ecclesia, sed is demum qui contra fundatum salutis, hoc est, articulos fidei pertinaciter defendit;

fenditur : siue dogma illud directe, siue dogmatis illius consequens fundamento salutis aduersetur, & repugnet, & in articulos fidei impingat.

XLIII.

Et similiter non omnes qui errant, sunt hæretici, sed ijdem, qui errant in fundamento, & errori mordicus adhærescunt, seu qui errorem contra fundamentum pertinaciter defendunt, & admoniti ex verbo Dei cedere & veritati locum dare nolunt, ad Tit. 3. v. 10. & 2. Pet. 2. v. 1.

XLIV.

Hæreticos enim non facit error, etiam contra fundatum, sed pertinacia & obstinata in errore contra fundatum perseverantia.

XLV.

Ac proinde odiosum & infame est hærescos nos men : & inter opera carnis quæ excludunt à regno Dei, ab Apostolo recensetur, ad Gal. 5. v. 20. Et male orent & audiunt hæretici, ad Tit. 3. v. 10. 2. Pet. 2. v. 1. & seq.

XLVI.

Similiter autem Pseudoprophetæ & Pseudos Christi & generatim Antichristi dicuntur & intelliguntur, Matth. 24. v. 24. 2. Pet. 2. v. 1. 1. Ioan. 2. v. 18. & 22. & 4. v. 2. & 2. Ioan. 1. v. 7. qui videlicet doctrinæ de Christo, cuius se sectatores profitentur, re ipsa aduersantur.

XLVII.

Cuiusmodi hæreticos inde ab initio semper fuisse & adhuc esse, libri ab Irenæo, Tertulliano, Epiphonio, & Augustino de hæresibus & hæreticis

B scripti

scripti, historia Ecclesiastica & experientia testantur.

XLVIII.

Quos hæreticos Sathan, Deo singulari consilio sic permittente, excitat & protrudit.

XLIX.

Ac Sathanæ quidem finis est, ut perturbet Ecclesiam, ut remoretur cursum Euangelij, deniq; ut gloriā Dei, cuius hostis est, inter homines obscureret.

L.

At Dei finis est, tum ut probet electos & à reprobis discernat, dum in illis studium veritatis & zelum accedit, horum autem occultas cogitationes, malitiam & hypocrisim in lucem protrahit & reuelat, i. ad Cor. ii. v. 19. Deut. 13. v. 1, & seq. tum ut gloriam suam, hoc est, sapientiam, potentiam, misericordiam, iustitiam illustret.

L I.

Quæ cogitatio nos mouere debet, cum Ecclesiæ tot hæresibus iactari videmus, ut ne perturbeatur: sed deficientibus alijs, nos potius exemplo Apostolorum, Ioan. 6. v. 68. in vera doctrina de persona & officio Christi constanter perseveremus, & ad Dei consilium, Sathanæ scopum interuertentis, & ad confirmationem veritatis, ad salutem piorū, & ad gloriam suam omnia mirabiliter dirigentis, respiciamus.

L II.

Pertinacium seu pertinaciter errantium porro duo genera: Alij enim ex ignorantia & cæco zelo, alij ex malitia errant.

Ex

L III.

Ex ignorantia, videlicet qui se recte sentire & non
quaquam errare certò statuunt, à Sathanā fascinati.

L IV.

Qui zelum habent, licet non secundum scienciam, ad Rom. 10. v. 2. & veritatem ac gloriam Dei, & suam atque aliorum salutem quærere omninoвидentur.

L V.

Qui si errare se certò scirent, errorem utique relinquerent, & in viam redirent.

L VI.

Quorum ignorantiam interdum fouet φιλαστρία,
φιλονίκεια, amor odiūmue personarum, inuidia, præs-
iudicium, avaritia, sophistica, calumniæ, quibus vera
doctrina grauatur, contemptus Ecclesiæ, &c.

L VII.

Quorum denique alij ab ista ignorantia liberantur, & in viam redeunt, vt Paulus, Augustinus, Eusebius, & hac ætate multi: alij in ignorantia ita confirmantur, Sathanæ præstigijs, & proprijs affe-
ctibus inducti, vt exilium, pœnas corporis, imò mortem ipsam subeant potius, quam errores suos abijciant, quemadmodum in misericordia anabaptistis videre est.

L VIII.

Ex malitia, videlicet, qui de doctrina sua dubi-
tantes verā sit, ancontrā, cum discere possint, non
faciunt: aut conuicti in conscientijs, tamen agno-
scere errorem, & reuocare nolunt, sed quibus pos-

sunt modis fucare & tueri, s^æpè etiam vi & armis
propugnare conantur, ne errasse videantur, & au-
toritatem suam amittant, vt olim Pharisæi, Arius
Nestorius, Eutyches & alij, & hodie ex Pontificijs
multi.

LIX.

Quam malitiam excitat & fouet reie^ctio bona^e
conscientiæ, contemptus Ecclesiæ, impatientia,
metus signominia^e ob mutatam sententiam, iactus
ra honoris, aut commodi temporalis.

LX.

Tales igitur sunt, qui pertinaciter errant, & hæ-
retici vulgo nominantur.

LXI.

Non pertinaces sunt, qui ex infirmitate errant,
parati semper cedere, & errorē corrigere, si melio-
ra doceantur.

LXII.

Qui non sunt dicendi hæretici: alioquin hæ-
retici fuissent Apostoli, qui initio magnis errori-
bus laborabant.

LXIII.

Atq; hoc modo Augustinus, errare, inquit po-
tero, hæreticus non ero.

LXIII.

Qui vel concipiunt ipsi errorem, vel ab alijs ac-
cipiunt.

LXV.

Concipiūt, videlicet ex simplicitate, vt Apostoli.

LXVI.

Accipiunt ab alijs, quadam stulta credulitate:
quam

quam in eis excitat curiositas, sanæ doctrinæ fastidium, & autium pruritus, aut admiratio sapientię, eloquentię & sanctitatis docentium: quamq; fuet negligentia & socordia: quod non scrutantur Scripturam, nec cum alijs conferunt de doctrinæ veritate.

LXVII.

Itaq; nulla est tam absurdā hæresis, quin inueniat sectatores: quia semper reperiuntur homines, qui expositi sunt hæreticorum imposturis, vani, curiosi, instabiles, autibus pruriētes, p̄posteri personarum admiratores, ignavi & negligentes.

LXVIII.


Vtriq; de suo errore admoniti, facile cedunt meliora docentibus, & in viam redeunt.

F I N I S.



1014524

HEIDELBERGAE,
EXCVDEBAT IACOBVS MYLIUS.



M. D. LXXXIII.

